



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LIII. Iacobvs Elector XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

cis enim consilia conversus Bertholdus diebus, ut vocat Ecclesia, Rogationum, publicis ipse Elector precibus constanter praesens, vicinos hostes ad communia vota invitavit, quo orandi exemplo pacem facillimè impetravit, mirantibus universis, praesertim verò Electore Palatino, Bertholdi constanter aestimatione dignissimi fiduciam: unde dixisse traditur: *en iste presbyter nobis strenuè irridet, armis ter-ritare ipsum conamur: & ecce quasi verum omnium securus deambulatum vadit.* Postremum hoc notatu dignissimum: ob corruptos populi, & praesertim Sacerdotum mores, imminere nova etiam in religione placita, & poenas justissimo Dei judicio infligendas praesagens an. 1499. Synodum collegit, ad quam post Episcoporum cœtum viros quosvis doctrinâ & virtutibus insignes convocavit, ut inveterato malo inveniretur idoneum remedium. Adhibita adversus morbos remedia in Bertholdo elusit mors an. 1504. postquam an. 20. univer-sam Germaniam praclaris suis radiis illustravit sub Pont. Julio II.

S E C U L U M X V I .

LIII. IACOBVS ELECTOR XXXVII.

Jacobus è Liebensteiniana Suevorum stirpe natus, avitis natalibus triplex decus adjecit nobilissimum, nimirum excellentem morum probitatem, doctrinam, & praesertim, Serario teste, Virginitatis florem. Relictum ab eodem hoc authore Jacobi compendium ad verbum huc transferre lubet, quod ita habet: *Jacobus, Liebensteinia Suevorum stirpe satus, ad Metropolitanæ Collegij Decanatum pervenerat, excellente Vir probitate, doctrina, & virginitatis laude. Fuit die 30. Decembris an. 1504. ad Archiepiscopale gubernaculum admotus: neque est, quod in eo à quaquam culpetur, nisi quòd ad taxillorum ludum fuisse putetur aliquando propensior.*

Si nisi non esset, perfectus quilibet esset,
Sed pauci visi, qui caruere nisi,

Intersuit celeberrimus an. 1505. Coloniae Comitibus, ad eumque Limpurgensis Abbatis contra Comitem de Leiningen, cuius ministri Cœnobium illius incenderant, causa relata

H

fuit,

fuit, prout à Trithemio Epist. 31, proditum. Interfuit & Comitibus aliis. Iterum an. 1507. Constantiæ Comitibus, ubi de Germaniæ pace belloque adversus Venetos faciendo multa. Invaletudine, præsertim lumbagine ferè semper conflictabatur. Obiisse ait Bruschius an. 1508. mense Septembri, & diem indicat M. S. L. 17. Calend. Octob. Epitaphium verò sic habet in summo templo: Iacobo de Liebenstein optimo & clementissimo Præsuli, qui anno, ex quo Pontificatum iniverat, secundo, mense Julio die XVI. bonis omnibus Ecclesiæ vicem dolentibus decessit, posteri bene merenti posuerunt. Videntur autem hic ejus anni non ab Electione, sed à consecratione putari. Hucusque ferè ad literam Serarius.

LIV. VRIEL ELECTOR XXXVIII.

URiel è Nobilium Suevorum de Gemmingen profapia prodiit in lucem, luce majori illustratus, dum legum Doctor, eodem tempore inter Nobiles rara avis, dein ædis majoris Moguntinæ Decanus, & tandem Ecclesiæ maximæ Elector est confirmatus. Ne inter Urielem & Erfordenses cives grave nasceretur bellum, autoritate sua impedivit Maximilianus Imperator Urieli clementissimus, dum misit litis arbitrum Laurentium Bibræum Herbipolensium Episcopum laudatissimum. Conventui idem Elector interfuit Imperij publico Treviris præsentè Cæsare, ubi inconsutilem Christi Servatoris nostri vestem denuo viderunt, & eadem Deum Hominem nostri causâ ornatum venerati sunt. *Fragi Virum & parcum* dixerunt non pauci Urielem: unde asserunt, cum fortè incidisset in furem cellæ vinariæ insidiantem, irâ adeo incensum fuisse, ut arrepto ligno obvio furis caput aut cervicem infregit: quo inexpectato mortis eventu usque adeo mutatum, aut veriùs ad agendam pœnitentiam conversum esse, meminerunt etiam, ut clam relicta Electorali dignitate Carthusianorum solitudinem sibi elegerit toti mundo mortuus an. 1514 Sedis 6. sub Julio II. Vide Serarium, qui partem hanc ultimam vocavit admodum dubiam, haud immerito: nam crebrò fabula huic non absimilis in cellis vinariis, aut inter pocula nascitur, & dum bis terve repetitur, instar historiæ venditur, emittur, amatur & confirmatur.